

vivens operatur & exercet suas actiones in eam, quæ præstò est, materiam, non secus, ut ipsum vivens integrum omnibus partibus: quod non solum in animalibus in auctione & partium nonnullarum regeneratione, sed præcipuè, ut postea dicetur, in plantis videre est. Nam eadem operationes in semine, & in planta omnibus numeris integra conspiciuntur: quæ propterea idem in utroq; principium & movens indicant. Eadem enim est omnino operatio, cum anima in semine latens ex attracta materia corpus plantæ fabricat: & cum eadem postea singulis annis amissa folia & flores instaurat, novos surculos, ramos, radices, protrahit; & propterea ejusdem omnino facultatis, ejusdemq; animæ indicium est.

Neq; hoc solum fit in plantis, sed & in animantium perfectorum seminibus idem fieri, concedendum est. Nam si non fit ex sanguine caro, nisi caro ipsa animata sanguinè in carnem mutet: multò minus fiet ex sanguine animal, si semen anima careat, neq; attrahere posset semen sanguinem maternum, nisi esset animatum. Cum enim incipit attrahere alimentum semen, jam acta operatur.

Tribuendas verò esse has actiones semini, Arist. 2. de gen. anim. c. 1. docet; & rationes idem evincunt. Ἄλογον enim videtur, inquit, Philosophus ἐξωθεν ἢ ποιεῖν ἑκαστον, ἢ τῶν ἀλάγγων, ἢ τῶν ἄλλων μερῶν.

κινεῖν τε γὰρ μὴ ἀπὸ μέρους, ἀδιώκων, ἔμὴ κινῶνται πᾶσαι τὰ ὑπὸ τέτυ. Nimirum efficiens immediatū necessario conjungitur cum patiente, dum fit actio. In formatione autem partium nihil conjungitur cum materia, quæ semen. Ergo illud generat, & agens hic est principale.

Nam quod hic semini solum partes instrumentarii agentis, & generanti principes tribuunt: id ex eo falsum apparet: quod generans, & à quo semen communicatū est, vel longè abesse, vel periisse potest. Sed ὅσα φύσιν γίνεσθαι, ἢ τέχνη, ὑπὸ ἐνεργείᾳ ὄντι γίνεσθαι. Ἐπὶ τὸ κινῶν ἐνεργείᾳ εἶναι δεῖ. Deinde cū omnia agentia univoca non sint è numero causarum instrumentalium, sed principalium, & sibi simile generet: semen verò ab Aristot. 7. metaph. c. 9. inter agentia univoca rectè numeretur: pro instrumentali causa propriè dicta tantum haberi non potest: nisi ita appellare alicui placeat, quod medio & beneficio seminis generans simile generare dicatur. Sed is etiam sciat, semen non esse instrumentum, ut alia, quæ cum principali agente necessario conjunguntur, & ab eo subordinantur, sed separatim à generante, eò quòd in se virtutem & omnem vim agendi habeat. Ideoq; ut ipsius Schegkii verbis utar, cum instrumentum per se nullam habeat efficaciam, utpote quod non nisi χεῖρσιν principalis efficientis definiatur: & cum movendi principium, ut in instrumentis artifi-

*Semen non est solum agens instrumentarium.*

artifi-